



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

Sanctissimo Domino, Papæ Vniversalis Ecclesiæ Innocentio X.  
Eminentissimis Dominis Cardinalibus Purpuratis S. Romanæ Ecclesiæ  
Patribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**



SANCTISSIMO DOMINO, PAPÆ  
*Universalis Ecclesiæ,*  
INNOCENTIO X.  
EMINENTISSIMIS DOMINIS  
CARDINALIBVS  
*Purpuratis S. Romanæ Ecclesiæ Patribus.*

**V**rbes vestra à se ac Latinis ROMA vocata, in aliis Linguis omen faustum habet, siquidem apud Græcos eadem vox Robur germanica quadam dialecto Laudem seu Gloriam, in Hebræo verò idiomate multo dilicatiore etiam encomia sonat: nam *Ecclesiam sublimemque* notat quo Virgilius domesticus eius Poeta ingeniose alluisse visus est, cum eam ita descripsit urbem,

*Quæ tantum alias inter caput extulit Urbes.*

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Fatetur hæc Onomasticum Theologicum in inimica Romæ Vrbe Witeberga Anno 1564. opera Davidis Chytræi acatholici editum, ut alios silentio obvolvam, veluti Brunum in urbium Theatro. & sane præclara illa & innumera alia etiam inimici de vera *Dei Civitate* enarrant, cum in ea non solum *Turris fortissima* nomen Domini sit erectum, sed Ecclesia orthodoxa *in petra exædificata* omnibus gentibus objiciatur videnda. Nihil ad hanc fortitudinem Tyros, nihil Trojanæ arces ac pergama, nihil muri, vel Babylonis palatia, Cyro Regi vix superata, nihil Persarum Regia Persepolis, ab Alexandro non vi, sed ignibus domita: nihil nostri temporis fortissimæ munitiones, Petra Sisimithræ in Bactriana, Camienitium in Moldavia, Iaurinum in Hungaria ac alibi omnes fortissimæ arces, atque propugnacula, utpote quæ humana manus, ac natura construxit, eadem etiam humana industria, ac potestas evertit, aut cum lubet evertere potest. Hanc verò Romanæ Ecclesiæ arcem  
supra

## Epistola

supra *Petram*, nempè *Petrum* constructam nulla vis humana, nulla machinatio diabolica evertere unquam poterit; quia non solum à *Viro sapienti* (pro ut *Mathei* 7. cap. dicitur) sed ab ipsa *DEI Sapiencia* sic ædificata, sic corroborata, sic firmiter stabilita est, ut si descendat pluvia, si adventiant flumina, si venti flaverint, & in domum illam irruerint, minimè sit casura. Imo si porta inferi robur omne suum conferant, machinas suas omnes admoveant, furorem suum omnem effundant, contra eam tamen non prevalebunt. Nec est *Capitis* solius ea soliditas, sed est etiam *PURPURATORUM PATRUM* in Ecclesiæ bonum vigilantissimorum, est magnorum in ea, *Doctorum* scripturæ sensa in omnibus Fidei articulis sequentium, atque propugnantium, *Collum sponsæ* Ecclesiæ *DEI* egregiè representantium, quod fortissimæ *Turri David*, in *Canticis Canticorum*, non inveniuntur assimilatur. *Turris* ea omnino est validissima, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura Fortium, ejusmodi propugnacula sunt *Articuli Fidei*, sunt *Traditiones sacræ*, sunt *Ritus Ecclesiæ* venerandi, à *Christo*, & *Apostolis* accepti, hoc in libro *Floremundi Ræmundi* insigniter propositi, ac defensi. *Mille Clypei*, sunt primi *Catholicæ Ecclesiæ* Magistri, atque Informatores post *Apostolos* sanctissimi, *Clemens*, *Dionysius Areopagita*, *Ignatius*, *Polycarpus*: sunt magni *Doctores Græci*, *Athanasius*, *Gregorius Nyssenus*, *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Ioannes Chrysostomus*. Inter *Latinos* eminentiores *S. Ambrosius*. *S. Augustinus*, *S. Hieronymus*, & *S. Gregorius Magnus*: sunt omnis *Lingux*, ac sermonis mille alii. imò millia plura eruditissimorum *Virorum*, qui doctrinæ suæ clypeis, hoc in Opere non rarè productis, orthodoxam *Fidem* fortissimè propugnaverunt, contra vim omnem hostilem egregiè firmaverunt, suisque sanctissimis lucubrationibus mirificè exornarunt. Quid dicam de *Tuis SAN<sup>TE</sup> PATER*, clypeis quibus arcè *Fidei* orthodoxæ propugnas? Quid dicam de vestris *EMINENTISSIMI CARDINALES*, parvis & umbonibus, quibus summo *PONTIFICI* in defendenda veritatis arce, *Ecclesia* nimirum *Catholica*, non consilium minus, quam auxilium affertis. Certè clypeus fuit, *Ajaxis* clypeo impenetrabilior, *Constitutio* illa, sive *Bulla* duplex toti *Ecclesiæ* utilissima, Anno hoc (quo *Tuæ Sanctitatis* insigne in lapide veteri sculptum è subterraneis locis emerit *Romæ*, & proximo, in quo *Cometa* ad *Noæ columbam* in cælo natus adversus septentrionem est progressus) longè latèque per terrarum orbem promulgata, qua, *SANCTISSIME PATER*, sub nomine *Augustini* latentis hæresum autem venenoturgentes *Doctrinæ* gravissima censura sunt notati & ab omni *Catholicorum* usu exterminatæ, atque condemnatæ. Ausus fuerat *Author* ille de schola *Gomarista-*

## Dedicatoria.

maristarum asserere, *Aliqua DEI praecepta Hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum praesentes quas habent vires, esse impossibilia, illisque deesse gratiam, qua possibilia fiant.* Quid adhuc Arx Romana, cui Pastorum & Episcoporum apex praesidet? Mille clypei praetensi sunt veritati. in illa tam grandi & gravi aetate, manibus adeo fessis, immaculatum agnum sapissime DEO Patri sanctissime, obtulisti acuminibus Theologorum maximis & difficillimis intendisti, ad stuporem prolixas defendentibus partibusque aures patentes dedisti, animasti, invitasti: sed exhausta abyssus illa cum ipsi patroni malae causae ante sententiam tuam se subducerent, & latere volendo se ante tuam aequissimam sententiam damnarent, tum demum, non in Homines, quos uti Deus amas, sed in opera Hominum fulmina Censurarum evibrasti? *Propositionem, Temerariam, impiam, blasphemam, Anathemate damnatam, & Hereticam declarasti, & ut talem damnasti* Ausus fuit inimicus sub nomine Viri alias pii ex eadem schola Gomari effutire, quod interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistatur, Quid contra haec? En clypeos, & tela Romana! *Sententia ista haeretica declarata est & uti talis damnata.* Non erubuit idem falsus Augustinus pro vera doctrina obrudere: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quid ad haec Romanae Arcis Sapiencia? *Falsam, temerariam, scandalosam, & eo sensu intellectam, ut Christus pro salute duntaxat Praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, & Hereticam declarat, & uti talem damnat.* Et quorsum haec omnia? atis id in aperto ponis SANCTISSIME PATER, cum in eadem Bulla dicis: *Inter multiplices curas quae animum nostrum assidue pulsant, illa imprimis cordi est, ut Ecclesia DEI nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit.* Ecce finis tantorum laborum, salus est omnium populorum, quam, cum PURPURATIS PATRIBUS, in probanda vera Ecclesiae doctrina studiosè intendis, quam in Christiana virtute promovenda negotiosè perquiris. Ob hanc tantam curam, atque vigilantiam, *Dignus es* (ut cum S. Augustino, serm. 28. de Sanctis, loquar) *dignus es, qui adificandis in visibili domo Populis, lapis esses ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum caelorum.* Quos officii tui titulos, ut *Assistentes Tibi magnae Intelligentiae* facilius, atque perfectius explere possint, Ecce ad laudatam Romanam Ecclesiam Arcem, custodiae Tuae concreditam, affero & ego minimus novam ex Germania panopliam, Historiam nimirum Ortus, Progressus, & Interitus Haresum saeculi nuperi, ab e-

## Epistola Dedicatoria.

erudito atque prudenti viro, Floremundo Ramundo conscriptam, ab aliis post mortem Authoris consummatam, nunc verò etiam à Religioso viro auctam, & egregiè locupletatam. Panoplia hæc planè est insignis, est controversiarum omnium temporis solidissima Synopsis, quàm multi in sua Fide orthodoxa conservari, quàm multorum pertinacia expugnari, quàm utrorumque pietas, atque religio confirmari poterit, atque stabiliri. Hanc SANCTISSIME PATER, ad pedestuos (quos absens demississimè exosculor, cùm præsentem, in tanta locorùm distantia, nõ liceat) humillimè depono, consecroque. Hanc etiã vobis firmisimam Ecclesiæ Rom. Cardinibus vobis etiam Illustrissimi Apostolicæ Sedis NUNTIIS ac LEGATIS toto orbe dispersis, in manus, imo in tutelam, patrociniumque trado atque consigno. Admittite quãso ad exquisitissimæ virtutis atque doctrinæ vestræ garophilacium hanc opellam continentem in, se

*Non Telamoniada clypei septemplex Orbes;*

Sed multos clypeos æternarum veritatum hoc in Opere contentarum, omnemque armaturam Fortium Ecclesiæ Propugnatorum, & egregium sacræ encyclopædiæ magnis in vestris mentibus ornamentum. Id si gratiosè facitis, me etiam tam salutis Operis, typo Colonienfii promotorem, inter minimos Clientes vestros benevolentissime succenturiatis largâque benedictione vestra mauctum locupletatis, Ita spero, ita expecto, Colonia Agrippinæ, Anno Salutis partæ M. DC. LV. die

SANCTISSIME PATER

Tuus &

VESTRARUM EMINENTIARUM

*Respectivè Filius, & Servus humillimus,*

IOANNES ANTHONIVS KINCHIUS.

Bibliopola Colonienfii

AV